

cessum manet. Quæ ratio æqualiter procedit in interdicto personali particulari; de quo videtur clarius loqui Navarrus; id tamen expresse tenet Sylvester, *Interdictum*, 3, q. 9, et Angelus, *Interdictum*, 8, num. 9, qui alios auctores referunt. Et addunt congruentiam, quia hoc interdictum privat receptione sacramentorum, in quo assimilatur excommunicationi; et ideo debet etiam in illo modo relaxationis assimilari. Et ad hoc confirmandum est optimum dict. cap. Qua fronte, præsertim in versiculo ultimo, scilicet: *De his etiam, qui conqueruntur se irrationabiliter excommunicationi, vel interdicto suppositos, illud idem dicimus* (scilicet esse absolvendos), *etiamsi ii, qui hujusmodi protulerunt sententiam* (utique tam interdicti quam excommunicationis), *ad Sedem Apostolicam duxerunt appellandum*. Hoc ipsum confirmari potest ex cap. Venerabilis, de Sentent. excommunic., ubi sententia suspensionis dicitur relaxari ad cautelam, quod tamen frequentius expedire potest in interdicto personali particulari.

4. De interdicto autem generali personali dicti auctores nihil expresse dicunt; quin potius Sylvester, Angelus, Navarr. et Covarruvias absolute dicunt, interdictum generale non posse hoc modo relaxari, sine distinctione de personali, vel locali. Quia vero in dict. cap. Præsenti, sermo est tantum de locali interdicto, dicendum est, ex vi illius textus non negari beneficium relaxationis ad cautelam in interdicto personali etiam generali, quia, cum denegatio hujus beneficii favorem non contineat, sed potius rigorem, ultra vim verborum extendenda non est. Quod si ex vi illius textus non negatur, non video cur neganda sit ex vi juris, nisi forte praxis, et consuetudo aliud habeat; nam illa est optima legum interpretis, et interdum illas extendit propter paritatem rationis, quæ fortasse videbitur esse inter generale interdictum personale et locale.

5. *Interdictum post ejus sententiam latam non suspenditur per appellationem.* — Omne interdictum potest suspendi ab illo qui illud tulit. — Satisfit argumento Panormitani in contrarium. — Ultimum dubium est, an interdictum suspendi possit. In quo nonnulla sunt certa. Unum est, interdictum non suspendi per appellationem interpositam post latam interdicti sententiam. Ita enim expresse cavetur in cap. Is cui, de Sentent. excomm., ubi in hoc interdictum excommunicationi

æquiparatur; ubi est sermo de suspensione ab ingressu Ecclesiæ, quæ, ut sæpe dixi, est interdictum quoddam; eadem autem ratio est de quolibet alio interdicto. In cap. autem Ad hæc quoniam, de Appellat., absolute idem dicitur de quolibet interdicto. Secundo est certum, interdictum generale, tam locale quam personale, et interdictum etiam locale particulare suspendi posse ad tempus, vel simpliciter, vel quoad aliquem effectum, ab eo qui illud tulit. Ita docent communiter Canonistæ in dict. cap. Ad hæc. Quos refert, et sequitur Covarruv., in cap. Alma, part. 2, § 2, num. 4, contra Abbatem, et Decium, quos ibidem refert; quanquam Abbas fateatur hanc sententiam in praxi servari posse. Eandem tenuit Navarr., cap. 27, num. 165, ubi idem dicit de excommunicatione, et in hanc sententiam allegat Decium. Tenet etiam Sylvester, *Interdictum*, 3, quæst. 8, qui citat Innocentium, et Hostiensem. Idem Angelus, *Interdictum*, 8, num. 3, qui refert alios, et quædam jura, scilicet, cap. Ad hæc, 3, et cap. Directe, et cap. Præterea, de Appell., quæ nihil omnino ad rem præsentem faciunt. Melius id probatur ex cap. Dilectis, de Appel., ibi, *cujus effectum ad tempus duxerat suspendendum*; et significat Pontifex tam validam esse illam suspensionem, ut, si durante tempore suspensionis appellatio interponatur ad Summum Pontificem, non possit ulterius iudex ad pristinum statum sententiam revocare, ita ut effectum exequatur. Sed hæc quæstio a Panormitano, et aliis auctoribus citatis late disputatur, qui varie textum illum exponunt, quæ ad nos nunc non pertinet. Fundamentum enim hujus sententiæ non est quia per aliquod jus hoc specialiter conceditur, sed quia nullo jure prohibetur; nam hoc ipso tota sententia, et effectus censuræ pendet ex voluntate ferentis; ergo sicut potest simpliciter eam auferre, ita potest ad tempus suspendere. Unde non est efficax Panormitani argumentum, quia non minus est efficax appellatio interposita, quam voluntas ferentis. Si ergo appellatio non suspendit; nec iudex potest suspendere. Respondetur enim, supposito jure positivo, non esse ita efficacem appellationem, sicut voluntatem iudicis, quia de appellatione habemus expressam prohibitionem, non vero de iudice.

6. *Evasio.* — *Eluditur.* — *Episcopus suspendere nequit interdictum ab homine a Papa positum.* — Sed aiunt: quamvis in voluntate iudicis sit ferre sententiam censuræ, tamen,

illa lata, non est in voluntate ejus impedire executionem; ergo non potest illam suspendere, sed necesse est, ut vel illam revocet, vel quod illa habeat effectum suum, quia sententia censuræ secum affert executionem, cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Respondetur: quamvis sententia censuræ in hoc sensu secum afferat executionem, quod per se ipsa, absque alio medio instrumento, seu executore, efficax est ad inducendum suum effectum, nihilominus in hac ipsa actuali executione pendet ex voluntate ferentis, et ideo per illam potest suspendi quoad actualem effectum. Et propterea diximus, hanc suspensionem fieri posse ab eo, qui eam tulit, quia inferior hoc non potest, cum non habeat jurisdictionem, nec ab illo pendeat effectus sententiæ, vel voluntatis superioris. Unde inferunt Sylvest. et alii, Episcopum non posse suspendere interdictum a Summo Pontifice positum; quod verum est de interdicto ab homine, vel reservato; nam, si fit a jure Pontificio absque reservatione, videtur posse suspendi ab Episcopo ex legitima causa ex commissione illi facta eodem jure ad relaxandum tale interdictum, ut supra vidimus. Unde hæc videtur generalis regula, eum posse suspendere interdictum, qui potest auferre, nam uterque actus ex eadem potestate nascitur.

7. *An interdictum personale speciale possit suspendi.* — Atque hæc omnia communia sunt tribus interdictis supra numeratis, respectu earum personarum, quæ sine culpa sua interdicto ligantur, vel ad illud servandum obligantur; nam eadem est quoad hæc de omnibus ratio. Quoad eas vero personas, quæ causam interdicti dederunt, magis æquiparantur hæc interdicta cum interdicto personali particulari, de quo est major dubitatio an possit suspendi. Nam Sylvest. supra negat tale interdictum posse suspendi, nisi per solum Summum Pontificem, nam ille, inquit, dispensare in hoc potest, cum sit juris humani; imo addit, si adhuc duret culpa, pro qua latum est interdictum, non posse Pontificem dispensare quantum ad celebrationem, sed solum quoad alia.

8. *Respondetur affirmative.* — *Notandum.* — Verius tamen est, etiam hoc interdictum posse suspendi ab eo, qui illud tulit. Quod a fortiori sentit Navarr., cum idem de excommunicatione asserat, et expresse id docet Covarr. Et ratio est eadem, quæ de aliis interdictis, quia hoc nullo jure prohibetur, et

alioqui veluti ex natura rei effectus sententiæ pendet ex voluntate ferentis. Quare nulla ad hoc requiritur juris dispensatio, quæ Summo Pontifici reservata sit; quia hic non agimus de privilegio perpetuo celebrandi, aut participandi divina tempore interdicti, quod Summus Pontifex solus concedere potest; sed de suspensione alicujus effectus, qui a voluntate ferentis pendet. Quocirca, non solum potest suspendi hoc interdictum postquam quis a contumacia recessit, tunc enim potius tollendum est, sed etiam ea durante, quia sæpe possunt occurrere rationabiles causæ ad hujusmodi suspensionem faciendam, ut per se patet. Neque solum quoad alios effectus, sed etiam quoad celebrationem Missæ potest hujusmodi interdictum suspendi, non quia per hoc concedatur, ut sine peccato celebret qui est in peccato; sed solum ut talis suspensio efficiat, ne per Ecclesiam specialiter prohibitus, seu interdictus sit. Quo etiam fiet (quod Sylvest. non advertit) ut, licet fortasse peccet celebrando, non tamen irregularis fiat, quia pro tunc non agit contra censuram. Poterit etiam contingere, ut non peccet, si coram Deo sit bene dispositus, et ab iniquitate recessit, quamvis apud Ecclesiam nondum satisfacere potuerit.

9. *Occurritur objectioni.* — Hic vero se offerebat objectio, quia hoc interdictum personale, et excommunicatio æquiparantur; sed excommunicatio non potest suspendi; ergo neque hoc interdictum. Ad quam Navarrus respondet negando minorem. Sed quia opposita est communis sententia, et magis consentanea juri, ut supra vidimus, negamus has censuras æquiparari in omnibus et specialiter in hoc, quia jura significant id esse speciale in excommunicatione, cap. Cum desideres, de Sentent. excommunicationis, cum aliis; nam excommunicatio acerbior est pœna, et quoad hanc partem magis odiosa; et ideo volunt jura, ut vel omnino auferatur, vel omnino suum effectum habeat.

## DISPUTATIO XXXIX.

## DE CESSATIONE A DIVINIS.

Inter spirituales pœnas, et inter alia remedia, quibus Ecclesia uti solet ad corripiendos filios inobedientes, et contumaces, una est, quæ cessatio a divinis appellatur, ut constat ex juribus, quæ inferius referemus, et ex quotidiano usu Ecclesiæ. Unde non est quod

disputemus, an hæc cessatio sit licita, vel expediens; utrumque enim satis confirmat Ecclesiae usus. Et ad illud prius sufficit, quod non est contraria alicui præcepto divino; nam licet ex divino jure sit, ut divina officia in Ecclesia celebrentur, non tamen illud obligat, ut ubique, et semper fiat; et ideo aliquando, seu in aliquo loco cessare, nec est per se malum, neque extra materiam Ecclesiastici præcepti. Ad secundum autem, scilicet, ut hoc sit expediens, multa concurrere necesse est, quæ iudices Ecclesiastici prudenter observare debent, et in sequentibus explicabuntur. Hæc ergo cessatio, si censura est, sub interdicto comprehenditur, ne numerus specierum censuræ augeatur contra responsum Pontificis in cap. Quærenti, de Verb. significat. Si vero non est censura, maximam habet cum interdicto affinitatem; et ideo disputatio hæc optime huic loco accommodatur. Nam per se necessaria est hujus pœnæ cognitio ad res morales, et ad hujus materiæ complementum, et per comparisonem ad interdictum facillime intelligitur. Et ideo Doctores, qui fere cum interdicto hanc pœnam involvunt, pauca de illa dicunt, quos quidem imitabimur; curabimus autem distincte rem totam exponere. Et primo videbimus quid cessatio sit. Deinde, quos effectus, et causas habeat, et quomodo tollenda sit.

#### SECTIO I.

Quid et quotuplex sit cessatio a divinis, et quomodo ab interdicto differat.

1. *Ratio nominis.* — Quod ad nomen attinet, constat cessationem a divinis sic dictam esse, quia eo tempore, quo hæc pœna fertur, cessant ministri Ecclesiae a publica celebratione divinatorum officiorum, et sacramentorum administratione. Et ideo dici solet hæc cessatio suspensio quædam organorum Ecclesiasticorum, per allusionem ad illud Psal. 136: *In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra*, quia hoc est veluti maximum signum afflictionis, quam Ecclesia patitur, quando omnia divina officia ita suspendit, ut notavit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 2. Ex quibus constat, appellationem hanc ab effectu sumptam esse; nam illa cessatio effectus est hujus pœnæ; ipsa autem pœna consistit in illo vinculo, quo astringuntur ministri Ecclesiae, et obligantur ad cessandum a divinis. Et de hoc vinculo præcipue inquirimus quid sit.

2. *An cessatio sit censura.* — *Prima opinio.* — *Secunda opinio.* — *Excluditur fundamentum Navarri.* — *Excluditur evasio quædam.* — Ad hoc autem declarandum primo videndum est, an hoc vinculum seu pœna sit propria censura; nam auctores in hoc varii sunt. Covarruv., in cap. Alma, part. 2, § 2, in princip., eam vocat juris Pontificii censuram; eodem fere modo loquitur Soto, dict. q. 3, art. 4, ubi quinque numerat censuras, quarum una est cessatio a divinis. Et videtur hoc efficaciter probari ex definitione censuræ in principio hujus operis posita; nam hæc cessatio est pœna Ecclesiastica, et privat spiritualibus functionibus, et ponitur propter contumaciam, ut ab illa recedatur, atque ita etiam est medicinalis pœna, quæ per ordinariam potestatem Ecclesiae tollitur, sicut imponitur; ergo nihil illi deest ad veram rationem censuræ. Alii nihilominus negant hanc pœnam esse censuram. Ita tenet Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 164 et 188; nullam autem aliam rationem affert, nisi quia cessatio non est, nisi ipsa omissio officiorum, juxta Panormitanum in cap. Dilectis, de Appellationibus, num. 48. Quam rationem et sensum propositionis assumptæ vix percipio; nam hæc pœna, prout ab Ecclesia imponitur, non est ipsa actualis omissio divinatorum officiorum; potest enim aliquando Ecclesiasticus iudex juste præscribere cessationem, et nihilominus ministros Ecclesiae de facto non omittere divina officia, in quo graviter peccant, quod est signum, sententiam fuisse validam et pœnam revera impositam; cum ergo omissio divinatorum de facto non sit subsecuta, non consistit hæc pœna formaliter in ipsa omissione facti, sed in vinculo impediendo actionem, ex quo sequi debet talis omissio. Si autem respondeatur, per omissionem intelligi vinculum omittendi, male inde infertur non esse censuram; nam etiam interdictum est vinculum omittendi divina; imo et omnes censuræ cum proportionem sunt vincula, quæ obligant ad aliquas omissiones seu privationes.

3. *Excluditur Soti interpretatio.* — Nec minus obscurum est dictum Panormitani, quod Navarr. allegat, et Sylvester sequitur, *Interdictum*, 4, quæst. 4; ait enim, hoc differre inter cessationem et interdictum, quod interdictum est quid juris, cessatio autem solum est quid facti. Quod dictum Soto, dicto art. 2, ita interpretari videtur, ut cessatio dicatur esse quid facti, quia nunquam fertur ipso jure, sed semper ab homine; interdictum

vero esse quid juris, quia etiam ipso jure fertur. Sed non fuit hæc mens Panormitani, quia omne interdictum, etiam quod ab homine fertur, censet esse quid juris; nam et de sententia interdicti absolute loquitur, et ratio, quam reddit, generalis est, scilicet, quia per talem sententiam locus supponitur interdicto, ita ut ille, qui celebrat, irregularis fiat. Unde e converso non ideo ait cessationem esse quid facti, quia non fertur ipso jure, sed quia solum est ipsa suspensio organorum, in quo significat sententiam Navarri, et eandem habet difficultatem. Adde, quod, licet de facto nulla cessatio a divinis inveniatur ipso jure lata, tamen non repugnat ferri aliquo statuto vel lege; ergo ex se etiam in illo sensu potest esse quid juris. Alius ergo fuit sensus Panormitani, quem infra declarabimus.

4. *Vera resolutio.* — *Cessatio a divinis nunquam fertur directe in personas.* — In hac re mihi est moraliter certum, cessationem non esse censuram omnino distinctam ab illis tribus, quas hactenus tractavimus, propter cap. Quærenti, de Verborum signif., prout latius expendi et probavi in disput. 1, sect. 3, hujus libri. In quo displicet mihi opinio Soti, cui consentit Covarruv. dicens, cessationem esse aliam censuram interdicto similem; nam si censura est, non est alia, sed eadem, quia manifestum est nec suspensionem, nec excommunicationem esse; quod si interdictum non est, nec censura est, quia quod sub nulla specie invenitur; nec sub genere existit. Videndum ergo superest, an cessatio sit interdictum. Quod, ut distinctius fiat, et relatæ opiniones magis intelligantur et judicium de eis feramus, adverte, cessationem a divinis nunquam ferri directe et absolute in personas, sed in loca tantum. In quo differt ab interdicto generatim sumpto. Ita sumitur ex omnibus Summistis, verb. *Cessatio a divinis*, et ex Panormit., Navarr., Covarr. et Soto, locis citatis, et aliis auctoribus, quos ipsi referunt. Nam, licet priorem partem negantem expresse non ponant, tamen solum faciunt mentionem cessationis localis, ut sic dicam, solumque distinguunt eam in ordine ad loca. Unde plane sentiunt nullam esse cessationem personalem. Et eodem modo hoc sumitur ex juribus, quæ de hac cessatione loquuntur; semper enim mentionem faciunt solius cessationis localis, ut paulo post referemus. Ratio etiam id persuadet, quia ex vi cessationis nunquam prohibentur personæ ubique celebrare divina, sed tantum in aliquo loco, quem respicit ces-

satio, ut constat ex usu Ecclesiae. Item, quia talis cessatio in nullo differret ab interdicto personali, quia hoc interdictum obligat personam, ut ubique cesset a divinis officiis publicis, nam a privata recitatione officii canonici non removet, quam omissionem etiam cessatio non inducit, imo neque illam permittit, si alias erat obligatio recitandi; nulla est ergo cessatio a divinis directe et absolute cadens in personas, quæ sit aliquid distinctum ab interdicto personali.

5. *Cessatio a divinis altera est particularis, generalis altera.* — *In quo differant inter se generalis et particularis cessatio.* — Rursus cessatio loci in particularem et generalem distinguitur. De generali loquitur Clementina 4 de Verbor. signif., et de eadem tacite exponere videtur alia jura, scilicet, c. Irrefragabili, § Cæterum, de Offic. ordin., et cap. Si canonici, et cap. Quamvis, eodem titulo, in 6, in quibus est sermo de cessatione, quæ ponitur a Canonicis seu a Capitulo vel collegio habentibus ad hoc potestatem ex consuetudine vel alio modo, quæ potestas interdum se extendit ad ponendam cessationem generalem in civitatibus vel terris, ut in dict. Clementin. dicitur. De speciali vero videtur esse sermo in c. Dilectis, de Appellat., ubi solum in Ecclesia Altisiod. dicitur cessatio lata, quod posset intelligi de tota civitate, ut aliqui exponunt, sed proprius intelligitur tantum de Ecclesia matrice, ut exponit Glossa in dict. Clementin. 4, verb. *Generalibus*. Differunt autem hæc duæ cessationes imprimis in locis, circa quæ versantur, eodem modo, quo similia interdicta distinguuntur, ut Sylvest., verb. *Cessatio*, dicit, et Panormitanus, et alii indicant.

6. *Notandum.* — Inter has autem duas cessationes quidam ita distinguunt, ut cessationem particularem negent esse propriam censuram, generalem autem dicant esse eandem censuram cum interdicto. Quam opinionem aliqui tribuunt Sylvest. supra, num. 4, quia dicit cessationem generalem æquiparari interdicto, non vero particularem. Sed revera id non tenet; nam inferius ait, illam æquiparationem non intelligi in omnibus, sed solum in casu expresso in dicta Clementina, scilicet, in hoc, quod religiosi sub excommunicationis sententia ipso jure lata eodem modo obligantur ad servandas cessationes generales, sicut generalia interdicta. Sine causa ergo aliqui ex eo textu colligunt cessationem generalem esse censuram seu speciem

interdicti generalis; sed potius oppositum potest probabiliter colligi, tum quia distincte de illis fit sermo; tum etiam quia non contentus Pontifex universali præcepto tradito quoad interdicta generalia, illud extendit ad cessationes generales; ergo intellexit cessationem generalem non esse interdictum, nec speciem ejus; nam, si esset species, sub genere comprehensa fuisset, neque ulla postea facta fuisset extensio. Item sine causa Sylvest. ex hoc textu colligit differentiam inter cessationem generalem vel particularem quoad æquiparationem cum interdicto; nam *revera* nulla colligitur, si cum proportione loquamur. Nam in illo textu non est sermo de interdicto particulari, sed tantum de generali; unde mirum non est, quod extensio fiat ad cessationem generalem, et non ad particularem, et quod in hoc æquiparentur interdicto generali cessatio generalis, et non particularis. Non vero inde sequitur, cessationem particularem non æquiparari interdicto proportionato, scilicet particulari; nam in illo textu nihil de hoc dicitur, et oppositum colligi potest quantum ad præceptum et censuram ibi *latam*, scilicet, quod sicut non incurrit illam excommunicationem religiosus violans interdictum particularis Ecclesiæ, ita nec violans cessationem particularem, quod valde notandum est.

7. *Refutatur opinio distinguens inter cessationem generalem et particularem.* — Ex his ergo satis constat, opinionem illam, distinguentem cessationem generalem et particularem in ratione censuræ vel interdicti, nullo jure fundatam esse; imo, si attendamus modum loquendi juris in dict. cap. Dilectis, de Appellat., potius cessatio particularis dici posset species interdicti, et hac ratione propria censura; sic enim ibi dicitur: *Interdictum hujusmodi promulgavit, ut Episcopo in civitate præsentate a divinis in Altisiodorensi Ecclesia cessaretur.* Ubi particularis cessatio interdictum appellatur, et Glossa ibi intelligit de proprio interdicto, et Abbas ibi. Et videtur probari, quia Pontifex non semel tantum, sed sæpe in eo textu pœnam illam interdictum appellavit; quam tamen ex eodem textu, et ex Glossa citata in dicta Clementina 4 de Sent. excomm., constat fuisse quandam cessationem a divinis. Unde posset aliquis occasionem sumere dicendi e contrario cessationem particularem esse censuram et proprium interdictum, generalem autem minime, propter dictam Clementinam. Verum hæc sententia

neque auctorem habet, nec probabilitatem, quia apud omnes est indubitatum majus esse vinculum cessationis generalis, quam particularis, quia cessatio generalis includit quidquid particularis, et addit aliquid, saltem extensive quoad loca; quoad alios vero effectus aut personas in nulla re superatur a cessatione particulari; nec quidquam potest cum probabilitate assignari; ergo nulla ratione dici potest cessationem particularem esse veram censuram interdicti, et non cessationem generalem. Videtur ergo concludi a fortiori ex dict. cap. Dilectis, cessationem generalem esse interdictum, atque adeo hanc pœnam non addere novam censuram, sed esse quandam speciem interdicti, quæ propter diversos seu plures effectus speciali nomine appellatur. Atque ita loquitur absolute de cessatione Maiolus, lib. 3, cap. 20, dicens, cessationem esse quandam speciem interdicti, et ait hoc indifferenter de utraque, quamvis statim aliam differentiam inter eas constituat, non satis consequenter, ut jam dicam.

*Præcipuum discrimen inter cessationem a divinis et interdictum.*

8. Obstat vero contra hunc dicendi modum discrimen aliud, quod communiter assignari solet inter cessationem a divinis et interdictum, quod hic necessario examinandum est. Nam si illud est verum, optime declarat, cessationem a divinis nec interdictum esse, neque omnino censura. Est autem discrimen, quia interdictum ita afficit locum, ut qui in illo celebraverit in casu aut modo non concesso, irregularis fiat, ut in superioribus probatum est. At vero cessatio non habet hunc effectum; nam licet quis peccet celebrando in loco, ubi cessatur a divinis, non fit irregularis. Quæ sententia quoad cessationem particularem est communis Canonistarum, ut constat ex Glossa 2, in cap. Si Canonici, de Offic. ordin., in 6; Hostiense, in c. Irrefragabili, de Offic. ordin., n. 41; Panorm., in dict. cap. Dilectis, quem cum Innocentio, Bonifacio, et aliis refert, et quoad hoc sequitur Covarr. supra, num. 4; et Navarrus, dicto num. 188; et eam tenuit Sylvester, verb. *Interdictum*, 4, § 1, et verb. *Cessatio*, § ultim.; et Angelus ibidem. Quorum fundamentum est, quia cessatio particularis non est interdictum particulare, et consequenter nullum interdictum est; sed in jure tantum est cautum, ut, qui

celebrat in loco interdicto, irregularis fiat; ergo, qui celebrat in loco, ubi est particularis cessatio, non est interdictus, ex alio principio juris, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis, juxta cap. Is cui, de Sentent. excommunicationis, in 6.

9. *Quorundam sententia de cessatione generali.* — *Excluditur fundamentum horum auctororum.* — De cessatione autem generali non est ita concors sententia; nam Joannes Andreas, dicto cap. Si canonici, et ibi Innocent., Anchar., et alii, et Calderin., tract. de Interdicto, docent, eum, qui celebrat tempore cessationis generalis, fieri irregularem, quamvis de particulari aliud sentiant. Et hanc partem sequitur Maiolus, dicto cap. 20, citans Antoninum in tractatu de Censuris, cap. 89. Idemque tenet in 3 part., tit. 26, cap. 3, et Villadiego, tractatu de Irregularit., cap. de Interdicto, in fine, et in hanc partem inclinatur Covarr. supra. Qui auctores solum fundantur in æquiparatione illa inter cessationem generalem et interdictum generale, quæ fit in Clementin. 4 de Sentent. excomm. Quod fundamentum inefficax est, ut ex supra dictis constat, quia ibi non æquiparantur eo quod cessatio sit interdictum; sed potius, quia non est interdictum, ad illam facta est extensio ex voluntate Pontificis. Rursus non æquiparantur in omnibus, sed in observatione ibi statuta; ibi autem non imponitur transgressoribus pœna irregularitatis, sed excommunicationis, quæ longe diversa est. Unde is, qui celebrat in loco generaliter interdicto, non fiet irregularis ex vi illius Clementinæ, si alibi decretum non est; cum ergo de cessatione etiam generali alibi decretum non sit, nihil ex hac æquiparatione concludi potest. Atque hoc videtur advertisse Paludanus, in 4, dist. 48, quæst. 8, art. 3, num. 38, cum dixit, ibi æquiparata esse interdictum et cessationem generalem quoad pœnam excommunicationis ipso facto violentibus impositam, cum tamen (inquit) olim contra cessationem faciens non fieret irregularis. Quæ verba sunt æquivoca, et ex eis posset quis colligere olim quidem ita fuisse, nunc autem aliter esse. Non est tamen hic sensus; sed, licet olim non fuerint æquiparata in irregularitate, ibi simili pœna excommunicationis puniri, servata nihilominus antiqua dissimilitudine. Et sic verum est, quod idem auctor subdit: *Sed circa cessationem solum hoc est innovatum, et nihil aliud*; non enim necesse est, ut, si duo delicta in una lege habent aliquam pœnam

XXIII bis.

communem, ideo aliæ pœnæ in aliis legibus impositæ uni ex illis delictis extendantur ad aliud.

10. *Prædicta sententia rejicitur.* — *Excluditur evasio.* — Unde dicta opinio non consequenter loquitur, distinctionem quoad hoc faciens inter cessationem particularem et generalem; nam fundamentum illud, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis, æque procedit in cessatione generali, sicut in particulari, quia in neutra invenitur talis irregularitas in jure expressa. Quod si dicant, satis esse quod sit expressa in interdicto generali, ut ibi intelligatur inclusa generalis cessatio, idem dicere debent de cessatione particulari respectu interdicti particularis, quod scilicet sub illo intelligatur inclusa. Imo necesse est, ut dicant, etiam ante dictam Clementinam 4 de Sententia excommunicationis, fuisse cessationem generalem inclusam sub interdicto generali in antiquis juribus, quoad hunc effectum, quia si antea non includebatur, ex vi Clementinæ non includitur, ut ostensum est; si autem includebatur, a fortiori dicendum est, cessationem particularem inclusam esse in interdicto particulari; nam, si rationem spectemus, est eadem cum proportione. Si autem spectemus jus, habemus aliquod fundamentum hujus inclusionis, quoad cessationem particularem, in dicto cap. Dilectis; quoad cessationem vero generalem nullum est aliud; nam ex dicta Clementina nullum sumi potest, ut ostendi. Quapropter magis consequenter de utraque cessatione loquuntur negando hanc irregularitatem Panormitanus, et alii antiqui Canonistæ supra citati, quos sequuntur Sylvest., et Navarr., et Paludan., supra, et idem sensit Soto, dict. art. 6.

11. *Dubium circa communis opinionis fundamentum.* — Unum tamen mihi superest dubium circa fundamentum hujus communis sententiæ ad utramque cessationem applicatum, nimirum, quod in jure non est irregularitas expressa contra celebrantes divina officia tempore cessationis. Nam, licet verum sit non esse expressam sub nomine cessationis, dici tamen potest esse expressam sub nomine interdicti; et id satis esse, quia cessatio est interdictum quoddam. Quando enim in jure dicitur, irregularitatem non incurri nisi in casibus a jure expressis, non est intelligendum necessarium esse, ut sub specifico nomine exprimantur; sed satis est, quod sint expressi sub locutione generali, seu indefinita, quæ illi